



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Articulus IV. An Clericus conjugatus promoveri possit ad ordines?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

ARTICVLVS IV.

An Clericus conjugatus promoveri possit ad ordines?

52 **D**E hoc agitur in c. *Sanè*, 2. h. t. ubi Alexander III. scribens Herfordensi Episcopo, *provideas*, inquit, *attentius, ne Clericis conjugatis Ecclesiastica beneficia conferantur; vel ad Sacros ordines, aut administrationes Ecclesiasticas admittantur*; ubi Abbas *hic num.* 3. verbum *Sacros ordines* vult accipi generaliter, ut comprehendantur omnes ordines, etiam minores, ut colligitur ex c. *fin. de temporibus ordinat. in 6. ibi: Nullus Episcopus, etiam conjugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad Sacros ordines promovèri, præsumat conferre tonsuram. Excipitur tamen.* 1. Conjugatus, qui voveret perpetuam castitatem, & unicam Virginem habuisset uxorem, ut dicitur in fine dict. c. *Sanè*. Si enim duxisset viduam, vel corruptam, titulo bigamiæ irregularis foret, ut diximus l. 1. tit. 21. *Excipitur.* 2. Si Conjugatus, emisso voto castitatis (idem præstante uxore) inititur minoribus, animo ascendendi ad ordines Sacros, ut colligitur ex dict. c. *Sanè*. *Excipitur.* 3. nisi Conjugatus, post legitimum divortium propter adulterium Uxoris ordinari vellet; quia tunc in ordine ad hanc statûs mutationem, & immunitatem ab usu conjugii evadit liber; Sanchez l. 7. matr. D. 47. an. 16. Dixi: *idem præstante uxore*; cui addendum, si hæc in sæculo manere velit, ac eâ ætate sit, ut sit extra periculum incontinentiæ; alioquin enim, si foret juvenis, deberet Religionem intrare, ut dicitur c. *Conjugatus*, 5. de *Convers. Conjugat.* quod in integra lectione relatum à Gonzalez sic loquitur: *Conjugatus ad monasterium converti desiderans, prohibetur suscipi, nisi uxor ejus convertatur; nam cum unum utrorumque corpus, conjugii copulatione, sit factum, incongruum est, partem converti, & partem in seculo remanere; nec recipitur apud Deum illius viri conversio, cuius sequitur conjugalis fœderis profututio. Cum igitur cætus Clericorum longè præmineat cætui monachorum, ut ita aliquando bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, nullus conjugatorum est ad ordines sacros promovendus, nisi ab uxore continentiam profiten-*

te fuerit absolutus, ut fiat deinceps de carnali copula Spirituale conjugium.

Si quæras, *an filius Sacerdotis Græci ex uxore genitus, licitè promoveatur inter Latinos?* id constare ex rescripto Innocentii III. ad Archerontinum Episcopum in c. *Cum olim* 6. h. t. cum enim Canonici Anglorienses Cantorem Tricaricensem sibi elegissent in Pastorem, & videretur electioni, cæteroque legitime obflare, quòd dictus Cantor esset genitus ex Patre Græco, qui constitutus in minoribus, juxta ritum Græcorum Uxorem duxit, ac cum ex legitima uxore suscepit in Sacerdotio: respondit Pontifex: *Nos igitur attendentes, quòd Orientalis Ecclesia votum continentie non admittit, quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio jam contracto: mandamus, quatenus nisi pro eo, quòd inter Latinos Græci hujusmodi conversantur, regionis consuetudo repugnet, si aliud Canonicum non resistat, ad confirmationem, & consecrationem ejusdem sine dubitatione procedas.*

ARTICVLVS V.

An Clericus conjugatus gaudeat privilegio Clericali?

CLericale privilegium duplex est, *fori*, 54 & *canonis*; de illo egimus l. 1. tit. 2. de *Constitut.* & l. 2. tit. 2. de *foro competente*; de altero dicemus infra; quibus positus *questio est.* 1. *an Clericus conjugatus, solum in minoribus constitutus, gaudeat privilegio Clericali?* 2. negativè ex c. *Joannes*, 7. h. t. ubi Innocentius III. ad dictam quæstionem respondens ait: *cum Clericus conjugatus, etiam si tonsuram ferat, non possit privilegio Clericali gaudere, si beneficiatus non sit &c.* Ex quo textu sequitur. 1. privilegio Clericali de jure non gaudere Clericum conjugatum non beneficiatum. 2. Clericos conjugatos non posse compelli ad ferendam tonsuram, nisi velint privilegio Clericali gaudere, ut etiam colligitur ex c. 10. & *fin.* 3. si quis in minoribus constitutus, statum incompatibilem cum Clericali in re assumpsit, v. g. Laicalem, vel militarem, eo ipso ceteri tacitè renuntiasse statui Clericali, nec recuperare beneficia priora, vel Clericorù privilegia, licet habitum, & tonsuram reassumat, ut notat Barbof. in dict. c. *fin.* n. 3.

Quæ-